

418 [= 429] in ruinis antiquae Bantiae, de quibus cf. Lombardi *memorie dell' Instituto* 1, 212. Extat in aedibus Nuzzo.

N · VSSAEVS  
SEX · F  
T · SALISIVS · T f  
· IIIVIR · I D  
5 MINERVAE  
SIGNVM  
D · D · S · ST · C

Misit mihi Iosephus d'Errico architectus Potentinus; qui cum postea ederet *bull.* *Nap.* a. V p. 68, quae ego coniectura correxeram et cum eo communicaram, dedit quasi in lapide ita invenisset. Ipse edidi *bull.* *dell. Inst.* 1847, p. 157. Henzen 6136 ex ed. 1.

1 NVSSAEVS, 3 TI, 4 IIIVIR d'Errico.

419 Acerenzae in ecclesia cathedrali.

MAXIMAe · SERuae  
PACI · LIBERALis  
EPAPHRA CONTub G. Kaibel descripsit.  
BM · ET SB · Pos 1 MAXIMAF-SEL traditur.

420 litteris rudibus. Acerenzae in ecclesia cathedrali.

POSVHLYVIDEIN  
>BITO MEO PEIM  
// A E R E M T I R  
/// N O L O V I  
5 // / V I T // / I V I S S I T  
XXII EST G. Kaibel describere  
A N F X X temptavit.

### XXIII. VENVSIA (*Venosa*).

Venusiam pariter atque Canusium a Diomede conditam esse ferunt (*Servius ad Aen.* 11, 246: *Diomedes...* *Venusiam...* *in satisfactionem Veneris, quod eius sedes patrias invenire non poterat, condidit: quae Aphrodisia dicta est*). Apuliae tribuunt auctores plerique et Dauniis quidem *Plinius* 3, 11, 104, Peucetiis *Ptolemaeus* 3, 1, 73. Quod Horatius (sat. 2, 1, 34) Venusinus poeta ipse ambigit Lucanusne sit an Apulus, *nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus*, eo tantum abest, ut Apulum se esse negarit, ut alio loco Apuliam nutricem appellat (od. 3, 4, 10, ubi de lectione mihi satis videtur constare; cf. od. 3, 16, 26). Minus accurate *Strabo* 6, 1, 3 p. 254 c. 3, 7 p. 283 Venusiam collocat in Samnii Lucaniaeque confinio, sed ut illi magis attribuat. Per bella Samnitica (quo spectant Horatii verba mox citanda *pulsis Sabellis*) Venusia a Romanis expugnata est a. u. c. 463 oppidum vel eo tempore frequens potensque: Οὐενουσίαν πολυάνθρωπον καὶ ἄλλας πόλεις πλείστας δύσας (δι Ποστόμιος ἐκ πολιορχίας παραλαμβάνει)· ἐξ ὧν μύριοι μὲν ἐσφάγησαν, ἐπακισχύλιοι δὲ καὶ διαχόστοι τὰ δπλα παρέδοσαν (*Dionysius* 17/8, 5 [16, 17]). Eodem anno colonia facta est iuris Latini deductis eo hominum XX milibus (*Dionys.* 1, c.: ἀποστελλομένων . . . εἰς . . . Οὐενουσίαν δισμυρίων ἐποίκων ἔτεροι τῆς ἀποικίας ἡρέθησαν ἡγεμόνες· ὁ δὲ τὴν πόλιν ἐξελὼν καὶ τὴν γνώμην τῆς ἀποστολῆς τῶν κληρούχων εἰσηγησάμενος οὐδὲ ταύτης ἀξιος ἐφάνη τῆς τιμῆς. Horatius sat. 2, 1, 34: *Lucanus an Apulus anceps: nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis, quo ne per vacuum Romano incurreret hostis, sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum incuteret violenta. Vel*lei. 1, 14), quot numero in aliam nullam missi esse inveniuntur. Bello Hannibalico Venusia expugnata non est (nam apud *Polybium* 3, 90 erratum est omnino videturque recte *Cluverius* pro Venusia *Telesiam substituisse*), sed et post cladem Cannensem (*Polyb.* 3, 116. 117. *Liv.* 22, 49. 54. *Plut. Fab.* 16) et aliis temporibus (*Liv.* 27, 2. 10. 20. 25. *Appian. Hann.* 50. *Nepos Hann.* 5. *Plutarch. Marc.* 29. *Cicero Tusc.* 1, 37, 89) fida Romanis Hannibali restitut. Bello finito propter attenuatas coloniae vires a. u. c. 554 triumviri creati C. Terentius Varro T. Quinctius Flamininus P. Cornelius Scipio colonos Venusiam adscripserunt (*Livius* 31, 49). Huius aetatis extant nummi non pauci Latine inscripti omnes omnesque ahenei, alii fusi inscriptione carentes, alii cusi inscripti ρε, de quibus egi in libro de re monetaria p. 180. 183. 195. 204. 243—246. 284. 314. 320. 322. Ex titulis autem magistratus habentibus hic pertinere videntur tres n. 438. 439. 440, quorum ex primo efficitur ei coloniae ne tribunos plebi quidem suos defuisse; secundus tertiusque quaestorum meminerunt, qui non minus quattuor numero videntur fuisse. — Bello sociali cum inter paucas colonias Latinas, quae a Romanis deficerent, Venusia esset (*Appian. b. c.* 1, 39. 42), oppidum expugnavit Metellus (*Diodor.* p. 539: Μέτελλος κατὰ τὴν Ἀπουλίαν τὴν Οὐενουσίαν πόλιν ἀξιόλογον οὖσαν καὶ στρα-

τιώτας πολλοὺς ἔχουσαν ἐξεπολιόρχησε . . . καὶ πλείους τῶν τρισχιλίων αἰχμαλώτους εἶλεν. *Appian. b. c.* 1, 52. 53). Eo tempore civitatem Romanam Venusinos adeptos esse re publica eorum ex colonia Latina in municipii locum translata et in tribu Horatia censos (cf. *Inscriptiones urbanae* vol. VI n. 2384 b 1, 29: . . . *M. f. Hor. Bassus Ven.* et n. 2654: *L. Octavius L. f. Hor. Felix Venusiae et domesticae* n. 434. 435. 441. 477. 499. 500. 521. 523. 531. 575. 578. 585. 596. 615) et per se satis certum est et inde colligitur, quod fasti Venusiae publicati incepérunt a bello Marsico (n. 422). — Sed non diu municipium mansit; scilicet a. u. c. 711 tres viri rei publicae constituendae cum militibus agros in Italia belli praemia proponerent, inter splendidissimas Italiae urbes ea clade afflictas Venusia quoque nominatur (*Appian. b. c.* 4, 3; cf. *Horatius ep.* 2, 2, 50: *inopemque paterni et Laris et fundi*); quapropter a *Plinio* (3, 11, 104 cf. 105) inter colonias recensetur et in libro coloniarum p. 210 inter urbes Apuliae *limitibus Gracchanis*. Etiam tituli coloniam Venusiam nuncupant (n. 735: *colonis coloniae* *Venusin.* et n. 745). Magistratus coloniae quinam fuerint, optime intellegitur ex fastis eius a. 719—726 servatis una cum eius temporis publicis populi Romani n. 422; qui qui fuerint ut facilius intellegatur, laterculum subiecimus.

INIERVNT	IIVIRI	AEDILES	QVAESTORES
[a. 719 Iul. 4]	· · · · ·	{P. Petinius P. Publilius	
Hoc anno quaestores creati:			
a. 720 Iul. 4	{Q. Larcius C. Rumeius	{M. Metilius L. Annaeus	{C. Sulpicius C. Salvius Bubulcus
a. 721 Iul. 4	{C. Aemilius Q. Pontienus	{C. Valerius C. Turpilius	{C. Livius Ligus L. Cornelius
a. 722 Iul. 4	{T. Licinius PRAE- L. Cornelius FECTI	{C. Annius Sex. Vettius	{L. Scutarius M. Calpurnius
a. 722 Sept. 4	{C. Plotius C. Annaeus		
a. 723 Febr. 4	{Sex. Titius L. Geminus	{P. Sextilius Q. Lucretius	
a. 723 Iul. 4	{L. Scutarius T. Sepunius	{T. Antonius M. Valerius Mess.	{L. Annius C. Valerius
a. 724 Ian. 4	{L. Cornelius Q. Vettius	{C. Cassius C. Gemini- us Niger	· · · · ·
a. 725 Ian. 4	{L. Oppius L. Livius II VIR Q.	{M. Narius C. Mestrius	{L. Plestinus Sex. Fadius
a. 726 Ian. 4	{L. Gavius C. Geminus Niger	{Q. Caetronius C. Clodius	· · · · ·
a. 726 Iul. 4	· · · · ·	· · · · ·	· · · · ·

## XXII. ACERVNTIA. BANTIA (p. 43).

ad p. 43. Poculum vitreum editum a Garruccio (*vetri tab. 35, I p. 69*), in quo cernuntur vir et uxor et inter utrumque statua Herculis barbati clavam d., sin. poma tria tenentis stantis in basi, cum adscriptione ORFITVS ET CONSTANTIA IN NOMINE HERCVLIS ACERENTINO FELICES BIBATIS, Gavedonius (*Bull. dell' Inst. 1859 p. 62*) ad Aceruntiam Acerentiamve rettulit, recte omnino. Sed non crediderim Acerentino ibi scriptum esse pro *Acerentini*; immo est solito more *Acerentinum*, scilicet vinum.

ad n. 416. Ex actis publicis Neapolitanis (Reg. XIV p. 833. 838) intellegitur tabulam emendam oblatam esse museo d. 14 Febr. 1791 a Dominico Lancellotti Oppidensi, emptam esse d. 26 Mart. eiusdem anni. — Ceterum Banzi vicus non quarto lapide ab Oppido distat, sed octavo.

ad n. 420. Ad ectypum missum a Lacava ut describeret, temptavit Barnabeius successu non feliciore sic: POSVS-ID·4 IDEA | BITOMEPEI | PEREINI TIR | NOIOSI | VO VISIT | XXII P TII | AN X II.

ad p. 43. Mansionem Opino vel ad Pinum distantem a Venusia m. p. XV non recte collocari ibi, ubi nunc est Oppido, monuit Kiepert. Distare enim hoc a Venusia recta regione m. p. XX, cum anfractibus necessariis minimum m. p. XXV; item mansionem illam pingi in sinistra ripa Bradani, cum Oppido a dextra eius sit. Itaque mansionem eam collocandam esse proprius a Venusia, ibi fere ubi est Palazzo S. Gervasio.

6193 Acerenzae rep. *Strada Piazza* in fundam entis domus Vincentii Potosa. Prope inventa sunt galea aerea, inaures duae, anulus, acicula aurea. In iisdem effossionibus balneorum indicia apparuerunt.

M · SATRIVS . . . . .  
CN · POMPEIVS . . . . .  
II VIRI · IT e r u m  
PISCINAM · REficiundam  
5 DEC · SENT · COeraverunt

Xaverius Panni canonicus misit Bruzzae, qui mihi dedit.

6194 ab Acerenza quarto lapide in fundo *Bocicchio, contrada Cerasa*.

VR . . . . . MAXENTI  
QVI VIXIT P · M · ANNIS  
XXXIII · FRATRI · FRATRES  
B · M · F

Xaverius Panni dedit per Bruzzam.

## XXIII. VENVSIA (p. 44).

ad p. 45 n. II. Saraceniani libelli alterum exemplum Stevenson repperit Romae in bibliotheca Angelica. Auctor est primicerius Venusinus P. Achilles; scripsit commentarium d. 28 Dec. 1584 inscriptum *Discrittione della città di Venosa, sito et qualità di essa*.

ad n. 421. Textum codicis Marciani X, 195 non tam Sabini esse quam Pomponii Laeti nuper intellectum est (v. ind. auct. s. v. Sabinus). Addo ad Mai. 45 in margine adscriptum esse: 'vacat in alio illud MER MAIAE: propterea viden(dum)'.

ad n. 470. Est in codice Londiniensi Harleiano n. 2574 (v. ind. auct. f. 79 saec. XV. — 5 FIRAE — 8 INTIMO codex.

ad n. 477 Mater est *Annia Cinnae (uxor)*.

ad p. 45 n. IX a. Antonii LAVISTA advocati *Notizie istoriche della città di Venosa*, unde inscriptiones enotatas habui, non profuerunt. Scripsit post Cimagliam.

ad n. 486. Est in codice Harleiano n. 2574 f. 79'. — 1 BABVLIAE — 3 CONIVGI·CAR — 4. 5. 6 CASTOR·C·SALV·CAPITONIVSM·ET·FILI·P

ad n. 495. Fabrettius 613, 109 (inde Orelli 2811 et scriptores Sentinates) refert auctore non indicato, collocans Sentini ad S. Francisci, legens 4. 5. 6 NV|TRITIO·ET·VER|NACLO ex emendatione opinor partim vera partim falsa.

ad n. 604. Est in codice Harleiano n. 2574 f. 79' 'in fonte'. — Versus non separantur in hoc exemplo. — 1 ·S·TEI·LEGIS — 2 in. IVS — 4 A·ESSE — TRADI codex, reliqua ut edidi.

Postquam haec typis mandavi, prodierunt ex tabulario musei Neapolitani commentaria duo de coemeterio Iudaico detecto Venusiae *lungo la Via dei Mulini* anno 1853, quorum alterum scripsit STANISLAUS D'ALOE d. 31 Oct. 1853, alterum iudex PASCHALIS DE ANGELIS et sacerdos RAPHAEL SMITH d. 10 Nov. 1853, testes oculares omnes et laboriosi difficilique negotio diligentissime functi. His subsidiis quominus recte uter cum obstare intellegerem meam et rerum et linguae Hebraicae ignorantiam, bona fortuna evenit, ut peritissimus Graziadio Ascoli Mediolanensis iisdem commentariis usus totam rem data opera tractaret (*iscrizioni inedite o mal note greche, latine, ebraiche, di antichi sepolcri giudaici del Napolitano*. Taurinis et Romae 1880. 8. pp. 420 tabb. 8; pars est voluminis *Atti del IV Congresso internazionale degli Orientalisti tenutosi in Firenze nel 1878*). Quem librum etsi ipsum adeat necesse est, qui haec epitaphia recte et plene cognoscere volet, nihilominus, cum Ascolius ex XLVII titulis in crypta Venusina repertis eos potissimum ediderit, qui Hebraice toti vel ex parte scripti sunt, meum esse visum

est omnes proponere ne Graecis quidem reiectis; neque enim de hoc sepulcreto in suo genere longe primario et perutili ad cognoscendum statum Iudeorum Italiae inferioris saeculo sexto (eius enim aetatis esse et litteratura ostendit et argumenta titulorum) recte iudicare poterit nisi qui totum cognorit. Quam ob rem ita rem institui, ut egregii commentarii quem Ascolius edidit tamquam supplementum darem, in Hebraicis quantum fieri potuit ad eum remittens, reliqua hic proponens secundum ordinem locorum unde prodierunt. Nam, ut bene monuit Ascoli p. 47 [279], ordo cubiculorum idem est temporis: scilicet ut Graecae linguae usus evanescit, ita crescit sensim usus linguae tam Latinae quam Hebraicae, ut in ultimo cubiculo ad sinistram in decem epitaphiis (nobis n. 6215—6224) Graeca nulla sint, non minus septem tota vel ex parte Hebraeorum lingua perscripta, id quod longe aliter se habet in cubiculis et loco et tempore prioribus.

Ex locorum descriptione, quam praemiserunt Angelis et Smith, potiora subieci; formam coemeterii quam dederunt cum Ascoli publici iuris